



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Isagoge Ad Amorem Divinvm

Pennequin, Pierre

Antverpiae, 1661

§. 2. Media quædam ad perfectionem actionum conducentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47132)

adrepere. Sed & P. Claudius Aquaviva rem valde desendam esse ait, si in ijs, qui virtutis studium profitentur, e centum actionibus, quibus per diem occupantur, nonaginta novem defectu attentionis & fervoris, eâ perfectione careant, quam alioquin si diligentia, solertiaque adesset, possent adipisci.

S. Basilus, ubi aliquos ætatis adultæ baptismo initiarat, eos monebat, ut jam se velut arbores, transplantatas in hortum Ecclesiæ, aspicerent, quas fructum Deo gratum proferre oporteret, ne sicut ficus Evangelica infructuosa, à Christo maledicta exaruit; ita divinæ Majestatis iram incurrerent: nec satis esse, fructus ferre verme peccati non corrosos; sed maturos, dignosque qui tali Domino presententur, esse exhibendos, hoc est actiones suis numeris, quantum fieri potest, absolutas. S. Augustinus non uno loco observat nos in rebus, quæ corpus, ejusque vestitum & habitationem spectant; meliora semper quærere, & si frumentum loco humido corrumpatur, ad superiorem siccioremque transferre: cur non idem in actionibus nostris usurpamus? Eodem ferè argumento utitur. S. Chrysostomus; Si alicui, inquit, unâ manu offerretur aurum & alterâ plumbum, illique diceretur: Elige

plumbum: Qui possum? diceret; an vis ut me tali electione non esse sanæ mentis ostendam? id tamen sæpè facimus, dum actiones, quas aureas exhibere possumus, per incuriam, & inertiam plumbeas; imò lutulentas Deo obrudimus damno per omnem ætatem irreparabili: quod enim in his maxime mentem ferit, est, quod, quales hinc nunc existunt, tales totâ æternitate futuræ sint, suæque representatione pulchra vel fæda dolorem nobis vel gaudium parituræ.

§. 2.

Media quædam ad Perfectionem actionum conducentia.

Magnificandum hinc illud sacrificantibus accini solitum: Age, quod agis: quasi dicerent: Omnes animi vires collige, & applica ad bene agendum id quod habes præ manibus. Huic enim rei insidari solet Dæmon, qui vel præteritorum recordatione, vel futurorum sollicitudine solet disturbare attentionem ad præsentiam: satis enim advertit, cum mentis nostræ facultas valde sit limitata, si illam dissipet & in multa dividat, minorem ad præsens opus vigilantiam allaturam.

Ita

6.
Vt sint
fructus
Deo dig-
ni.

7.
Dæmoni
actiones
interru-
bare in-
to occur-
rendum.

Ita ergo te gere ac si unicum haberes negotium, in quod proinde totus incumbe, non aliter quam si ab illa actione tua salus, imò omnium hominum dependeret. Imitare in hoc genere Christum, cujus vita, ut ait S. Augustinus, disciplina morum est, qui vel minimum opus ita exequi solitus fuit, ac si ad Dei gloriam, mundi que saluationem nihil aliud ab ipso exigeretur; & hoc ipsum ut sui sequaces agerent docuit. Cūque vera in agendo prudentia, ex eius doctrinā querenda sit, secundum Bernardum, quod egit & docuit hac in parte meritò, alitè in animum demittere, & opere exequi te oportet. Dixit aliquando Dæmon, ad eundem campanæ sonum, quo monachi convocantur ad orandum, se ad templum convolare, ut hanc ad orationē, vel cantum attentionē alienis cogitationibus interverteret, visusque est uni repræsentare calcem & lapides ad ædificationem cellulæ, quā moliebatur; alteri speciem mulieris, quam aliàs viderat, & alijs alia obtrudere, prout animos suaviter à præsentī opere abducēdos iudicabat. Propterea Dei adiutorium festinatò in principio precum horarum invocatur, ut divina bonitas Dæmonis tam vigilantis, & ad disturbāda bona opera festinantis molitiones gratiæ suæ subsidio præveniat.

Monuit Christus ipse B. Magdalenam de Pazzi, ut nullum opus adoriretur, nisi prius animo collecto oculos ad cælum levasset, auxiliumque desuper evocasset. S. Carolus Borromæus tertio se mane dum surgeret, cruce signasse legimus: id ipsum per diem usurpandum non sine profectu sunt qui suadeant: ac primò quidem signando te, actum fidei exerce, ad credendū Deum Trinum & unum, & Christum cruci affixum; secundā crucis efformatione, ut in spem te erigas subsidiumque à Trinitate per crucifixi meritā fidenter efflagites; tertiam verò, ut ad honorem SS. Trinitatis, & Christi pro te in cruce mortui, opus quod aggredieris, offeras; nec hæc præludia operis nimis longa existima: sunt enim quædam velut dispendia, quibus ingens operis ut fructus compendium emitur: est in plerisque rebus non parum damnosa festinatio. In operibus merè naturam spectantibus; ut sunt dormire, comedere, ambulare, & similibus triplex operantium genus distingui solet: 1. Eorum qui supra naturam non assurgunt, qui comedunt, ut famem dumtaxat expellant: dormiunt, ut Fessum corpus sublevent; quod ipsum etiam bruta animalia instinctu nature faciunt. 2. Eorum, qui humano modo operantur, qui ista faciunt,

M m m 2 ut

8. Attentione, & invocato Dei adiutorio.

Frequenti signo crucis.

9. In actionibus naturalibus quatuorplex intentio.

De vera Religione cap. 16.

In Cant. Serm. 22.

7. amoni ones certur e inb occur dum.

ut laboribus, quos habent præ manibus, pares esse possint. 3. Eorum qui fidei supernaturalis lumine ad opus accedunt, & comedunt, aut dormiunt, ut instauratis corporis viribus Deo melius famulentur. Quod licet duobus primis longè sit præstantius, quia tamen in motivis fidei non parva reperitur latitudo; expedit, ut ad id quod in hoc genere perfectissimum est, animus enitatur: nimirum, ut quia Deus vult, & prout vult, & ad finem, quem maximè vult, opus tuum aggrediaris. Quemadmodum si aliquem amore sincero prosequeris, ubi intelligis eum aliquid velle, conaris etiam nosse, quomodo id fieri & ad quid velit, ut ejus desiderio quàm perfectissimè facias satis; idque in illo opere exequendo unicè habes præ oculis, ut amici tui servias voluntati, voluptati, utilitati, quando hæc duo postrema in operis executione concurrere & haberi possunt: ita tu unius Dei gloriam, & delectationem in eo quod agis specta: quod ut assequaris Christum roga, ut tuam actionem suis adjungat, & velut inserat, quarumque actionum perfectione illam exornet & elevant: ad hoc & Spiritus sancti, qui totus amor est, auxilium invoca, ut si quæ palea se immisceat, illam continuo igne suo consumat, & puram defæca-

tamque actionem oculis SS. Trinitatis gratiosam acceptamque efficiat.

Atque ut hæc interdum mentem non minus anxie sollicitent & exerceant, operæ erit pretium, si cum Christo, aut Spiritu sancto; quantum cum tantâ Majestate pacisci potest humana infirmitas, pactum in eas te quoties per diem piè & mente sursum erectâ pronuntiaveris, O J E S U V E L O Spiritus sancte, toties te quam mane prolixè digestam intentionem obtulisti, repetere, æquè ac si profundo cordis amorisque sèsu, & conceptis verbis eam pronuntiares. Quantum autem valeat hæc compendiosa repetitio, facile colliges ex opposito: si enim ita cū Dæmone aliquis ageret, & id cū illo de quo aliàs prolixè cōvenit, horis singulis prolato unico verbo renovaret confirmaretque magnum inde peccatorum cumulum conflare crederemus. Præterea si inter homines novas amicitie protestationes sæpius sincere, & amico pectore iteratas novam semper gratiam conciliare videmus, multò magis locum id habere apud Deum censendum est, qui omnia ex charitatis magnitudine metitur.

Non desunt qui intentiones specie distinctas multiplicant, ut hoc modo unicam actionem diversarum virtutū apparatu exar-

10.
Pactum
cum
Christo
aut
Spiritu
sancto
faciendum
est
quoties
per
diem
piè
&
mente
sursum
erecta
pronuntiaveris

ment; quod modò animum in multa minora bona nõ partiatur, improbari non debet; accidit tamen per sepe ut quod unitas colligit, multitudo dissipet.

S. Gertrudem. monuit aliquando Christus ne generali actionũ suarum oblatione contenta esset, sed ad particulares earum species singulatim descenderet. v. g. cogitationes istius diei, verba, passus, gestus, characteres, quos scribendo formaret; bolos, quos in refectioe corporis in os ingereret; haustus, quos faceret; respirationes, aspirationes, oculorum jactus & nutus, omnia quæ inter vigilandum & dormiendum temporis momenta prætervolant, Deo offerret, ut nihil esset, quod charitatis erga Deum sigillo non consignatum, præterlaberetur: quod ad singula repetere cùm supra mortalium infirmitatem esse videtur, ad pactum de quo jam dixi, recurrendum est, cujus beneficio per diem sæpius cum tranquillitate & fervide oblatio ista iteretur. Unum præterea monitum velim, ne nimis anxie reflectas, an in actionibus magis ac magis perficiendis multum promovearis. Viatorem enim, qui passus numerat, & sæpe quantum itineris confecerit oculis retrò conversis examinat, & an turris loci unde discessit, jam è conspectu abierit, & quantum superlit iti-

neris, ab obvijs sæpius inquirit, molestum nimis & pueriliter sollicitum esse arbitramur: operarium, qui quantum operis absolverit sæpius respectat, tempus supervacaneâ sollicitudine malè terere judicamus: multum etiam in hoc sæpè hallucinamur, dũ in actionum examine vitia virtute quæ confundimus, & opus apud Deum vitiosum inter actiones laude dignas reputamus: uti accidisse legimus viro alioquin sancto, & magnæ doctrinæ P. F. Henrico de Castris Dominicanæ Familiæ religioso; Deiparæ imprimis charo & familiari; cui illa aliquãdo dixit: Statuisti te in penitentia Sacramento accusare; quod fratrem acrioribus verbis reprehenderis, in quo tamen non peccasti: sed potiùs accuses te oportet de nimis longo ad cenobij portam cum famina colloquio, de nimis tepida exomologesi, & Sacrificio Missæ exiguo fervore confecto: ò quantum est in judicijs nostris tenebrarum!